



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Quia est Scutum quo nos protegimur ab ira Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

5. Quia Tyrannus Ecclesiæ domuit.

Amphilochius quod sequitur in *vita S. Baslij* narrat. Julianus Cæsar impius supremum Ecclesiæ meditabatur excidium, & cum fuisset minatus id testatis verbis, S. Basilius se cum populo in templum Virginis recepit, ac triduanæ orationi vacavit, Julianus interim contra Perfas abiêrat, comparuit Virgo augustissima Basilio ac S. Mercurium cuius in eo templo corpus, & arma asservabantur, iussit arma sumere, ac de impio Tyranno pœnas exigere. Id visionis per somnium habuit Basilius, qui evigilans neque corpus, neque arma amplius S. Mercurij conspexit. Post duas tandem horas cum lancea cruenta S. Mercurius comparuit; at post quartum diem advolat Quæstor Libanius, necem Cæsaris narrat factam manu militis incogniti, qui septemplex custodiam perreperat.

Jam aliud accipe. Copronymus Cæsarum lues, ac Successor illius Leo Armenus bellum sacris Imaginibus indixerant, & ideo Catholicos ferro & igne tollebant, sed adeo Virgo pro Ecclesia contra Copronymum stetit, ut ille cælesti correptus igne, clamaret se viventem in ferni flammis addictum, precarique ut Maria meritis laudibus, quibus mitior fieret ornaretur. Armeni verò Mater videbatur sibi esse in Blachernis, Templum id est Constantinopoli Virginis nostræ amplissimum, ibi D. Virginem videre: interea toti pavimento innatantem conspexit sanguinem, ex quo Regina Cœli vas jubet impleri, ac Matri Armeni offerri, ut biberet, recusat illa; tum Divina Virgo, atqui tuus Filius non facit finem effundendi sanguinem eorum, qui me venerantur, adeoque non cessat in se Deum Filiumque provocare; simulque addit Virgo paulò post Leonem periturum. Ita ex *Zonara*, etsi paucioribus *Bosius lib. 4. cap. 10.* Quod è Tyrannide Gothorum erepta fuerit Italia, quod Ariani Hæretici ex ea expulsi, Deiparæ debere docet. Et olim liberaturus Deus veterem synagogam Duce Moyse in nube comparuit, qui *rubus ardens incombustus* Virginis nostræ symbolum fuerat.

Hinc dixit *Gregorius Nicomed. orat. de Present. cap. 12.* Virginem Christianorum multitudo murum habemus fortissimum. Profectò teste *Ib. Walsinghamo in Henr. IV. B.* Virgo S. Thomæ Cantuariensi Episcopo dedit cæleste quoddam unguentum, quo Reges Anglorum qui ungerentur pugiles essent benigni Ecclesiæ.

6. Quia est Scutum quo nos protegimur ab ira Dei.

Canunt *Menas 5. Maij.* Te nos Christiani ac planè te solam irato objicimus Domino, quæ ut elementius de nobis statuere dignetur, impellas. Mihi id mysteriû adumbrasse videtur historia 2. Reg. 14. Offensus erat & meritissimè Absoloni David, quem

F 2

accescit

accessit Thecuitis, & cecidit coram eo super terram, & adoravit, & dixit: serua me Rex & ait ad eam Rex, quid cause habes? que respondit. Heu mulier vidua sum, mortuus enim est vir meus; & ancille tue erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusq; erat qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum, & ecce consurgens uniuersa eognatio aduersus ancillam tuam dicit. Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus heredem; & querunt extinguere scintillam meam, que relicta est, ut non supersit viro suo, & reliquie super terram. Et ait Rex ad mulierem. Vade ad domum tuam, & ego iubebo pro te. *S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 14. serm: 7.*

Maria figurata est in illa prudentissima muliere Thecuite. Absolon rebellis certè genus humanum repræsentat &c. Hæc Thecuitis sub cruce consistens unum amittebat Filium; & alium in filium accipiebat, id est genus humanum: & irato se Deo ut possimus piè opinari objecit, & similibus usa verbis clementiam impetravit, & hoc quidem ut discurrit *S. Bernardinus serm. 61. de B. V. ubi ait: Indulsi misericors Deus primis parentibus, neque eos annihilavit post peccatum, quia non fuisset sic exorta B. Virgo, nec per consequens Christus, si Deus carnem non sumpsisset humanam, ergo propter istam nobilem Creaturam Deus Parentes priuos salvavit de prima eorum transgressione, Noe diluio inundatè, Abraham de Hur Chaldaeorum, Isaac de Ismaele, Jacob de Esau, Judaicum populum de Ægypto, & de impia Pharaonis manu, & de mari rubro, & de manibus diverforum Regum, & Tyrannorum; scilicet Nabuchonodosor de captivitate Babylonis, & Assyriorum, Davidem de Leone, Ursis, de Gigante Goliath, de Saule infensissimo ejus hoste, & ut hoc brevi sermone cuncta comprehendam, omnes indulgentias & liberationes factas in veteri testamento non ambigo Deum fecisse, propter hujus Puellæ reverentiam, & amorem, quibus eam Deus in æterna sua prædestinatione honorandam cunctis operibus suis ab æterno præordinavit.*

Subjiciamus nos isti sententiæ, quod Estheri cap. 15. dictum, & dicamus Virginii. *Loquere Regi pro nobis & liber a nos de morte.* Nam ut dictum apud *S. Aug. serm. de Assumpt. B. Virg.* Nec potiore inuenimus meritis quàm te ad placandam iram Judicis, succurre ergò miseris. *Richard. lib. 4. de Virg.*

Comparatur misericordia Virginis Nubi, quia velut nubes misericorditer abscondit peccatores ab ardore solis, id est ab ira Filij. *Idem lib. 2. p. 1.* Ipsa Virgo dicit *Eccles. 24. Sicut nebula texi omnem terram,* ab irato scilicet Deo; quasi ab ardore solis. Ideo etiam dicit de Filio *Cantic. 4. Tenui eum,* nè scilicet percuteret, *nec dimittam* sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail, cujus prudentia furorem retinuit David, nè vindicaret se de Nabal stulto. De quo etiam *S. Ambrosius Mediolanensis. adductus à Novarino. Elect. lib. 4. n. 760.* Abigail placat David super nequi-

nequitiam mariti, Tu Deum ex peccatis generis humani, Abisag Sunamitis David senescentem calefecit, tu Virgo amore Deum nobis iratum refovisisti. *S. Bonav. spec. cap. 7.* Detinet Filium Virgo, nè peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic Dominum auderet detinere, testante *Isaia 64. Non est qui invocet nomen tuum, qui confargat & teneat te.* Deipara Faventina ut ex ejus historia constat, depingitur cum falce fractarum sagittarum, nam cum in Urbem Faventinam vellet eas vibrare Filius, Materna libertate illa de manibus Filij accepit, & confregit, & hanc suam erga Faventinos protectionem illis ipsis iussit significari. *Surius* quod sequitur in vita *S. Liobe Abbatisse* refert. Incubuerat loco gravis tempestas, tenebræ, tonitrua, fulmina, & quidquid minarum in cælo erat, imò persuaserant sibi ultimam adesse mundi diem, *S. Lioba* ante altare Virginis *S. se* abjicit, & templi fores referat, invocatoquæ auxilio *D. Virginis iram* Divinam componit, ac veluti scuti objectu evadit.

7. Quia est Auëtrix virtutum.

Benè id *Bernardus* aut quisquis ille est *serm. 1. in Salve Regina.* Origo fontium & fluminum mare, virtutum sanctarum Auëtrix Maria. Si vis copiosas aquas haurire accede mare, si virtutes accede Mariam. Nam ut *S. Ildesonus serm. de Partu & Partu.* Vexilla virtutis in Maria effulserunt, in qua tota Majestas Deitatis versatur. Ac ut *Jdiota in Prologo.* Inventa Virgine Maria invenitur omne bonum.

Quod videtur innuisse *Moytes* qui Dei præcepta reposuit in arca, nec alibi servanda censuit, quæ juxta *S. Ildesonus serm. 1. de Assumpt. B.* Virginem figurabat. *S. David*, etsi antea justus, & probus, postquam tamen *16. Regum* est unctus oleo, accepit Spiritum *S.* qui est fons omnium virtutum, quia oleum juxta *S. Ambros. 13. de Jysit. Virg.* Sanctam Virginem denotat.

Statuerat Deus *Genes. 25.* ad magnas virtutes elevare in Mesopotamia *Jacobum*, prius illi eò peregrinanti *Scalam* ostendit, quæ juxta *Bernardum serm. in Nativit. B. V.* Typus erat nostræ Domine.

Nec caret mysterio quod Deus in virtute provecturus, daturus benedictiones *Jacobo*, non ipsi tamen, sed Matri ejus *Rebecca* animam illas quærendi & modum inspiravit. Dei enim iunctum multi in hoc agnoscunt, quia teste *Richard. à. S. Laur. lib. 2.* illa Virginem nostram indicabat. Quæ est ut ait *Echertus in Deprecat. ad B. V.* Areola aromatum sanctorum, à Cælesti confita Pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans. Vel ut *Sophron. serm. de Assumpt.* Hortus delectiarum in quo sunt confita universa florum genera & odora menta virtutum. Indè ut docet *Beda hom. de Vist. Elisabeth.* Fit largiente Domino, ut si *B. Maria* semper actus, & dicta recolamus, semper in nobis & observantia castitatis & virtutis opera perleverent.